

»di color bianco, benchè la Messa so-  
»lenne ivi si celebri in altro colore;  
»come pure il baldacchino per la Pro-  
»cessione deve essere del medesimo  
»color bianco.«

1. Ex quatuor coloribus (nam ater, qui est quintus, cum violaceo confunditur) quibus, ex Ecclesiae instituto, utimur in Sacramentis administrandis, in sacris celebrandis Mysteriis, in aliis ecclesiasticis functionibus peragendis, albus ille est, qui proprie convenit Eucharistiae. Idcirco jubet Instructio, quod, *Il celebrante, dovendo portare il SSmo. in processione, sarà vestito con piviale bianco.* Hujusmodi enim color, ut verbis utar *Gavanti ad Rubricas Missalis part. 1. tit. 18., significat gloriam, gaudium et innocentiam . . . . adde vestem coenatoriam Christi fuisse albi coloris.* Ideo maxime decet, ut adhibeatur in expositione SSmi. Sacramenti et dum supplicatio instituitur ad illud solemniter circumferendum, quoad ea praesertim, quae eidem immediate et unice inserviunt.

2. Haec tamen regula suas patitur limitationes. Obtinet quidem, si in Altari expositionis celebrata sit Missa votiva de SSmo. Sacramento vel alia de die, quae requirat colorem album. Nam si in Missa, prout Officii qualitas exigit, adhibita fuerint paramenta coloris rubei vel etiam violacei, haec non erunt varianda, sed pluviale ejusdem coloris erit assumendum. *Servandum id est in aliis etiam expositionibus vel repositionibus, quae per annum fiunt praecedente Missa. Item si instituenda sit Processio post Vesperas,* non sunt assumenda paramenta alterius coloris, sed sacra actio continuari debet cum paramentis respondentibus Vesperis, nisi tamen interrupta sit actio, ut infra magis idoneo loco videbimus. Non semel evenit, ut eadem Ecclesiastica functio

alium ab initio, alium in fine colorem exigat; et cum conveniens non sit, certe vero valde incommodum, functionem ipsam interrumpere vel retardare ad effectum mutandi colorem, Ecclesia in usum habet, eum colorem seligere et per totam functionem adhibere, qui congruit ei Festivitati, quae principalem sibi vindicat considerationem. Sic quando dividuntur Vesperae cum sequenti Officio, quod diversum colorem exigit, hujus colorem etiam adhibet in Vesperarum initio, etsi non congruat Sancto, de quo illae dicuntur, et in Feria sexta in Parasceve Processionem ipsam Sacramenti continuat in colore Missae, etsi niger sit minus conveniens SS. Eucharistiae, quae per processionem defertur. Quidni igitur casu nostro continuari debebit color Missae aut Vesperarum, cum quibus consequens Processio, tamquam quid accessorium, non minus functionem integrat? Hanc itidem sequuntur regulam paramenta Ministrorum, quae iis Celebrantis conformia omnis exposcit ratio. Ita *Cavalerius* ad hunc locum *num. 1.*

3. Sciscitari hic posse videtur: num exceptio illa „quando non abbia celebrato con paramenti di altro colore, che in tal caso continuerà il colore della Messa“ praeceptiva sit vel tantum directiva? Si meum expromere sensum licet, eam directivam dicerem. Ideo enim hunc casum excipit Instructio, non quia id velint Rubricarum leges aut Sacrae Congregationis Decreta, sive quia ullam deformitatem secumferat mutatio paramentorum; sed potius ut avertat incommodum et ne sacra interrumpatur aut retardetur actio. Verum haec extrinseca sunt, neque ad ritum essentialiter pertinent. Quamobrem, licet existimem satius esse obtemperare Instructioni, haud tamen eos damnare auderem, qui semel agerent. Me recreat S. R. Con-

gregatio, quae idem mecum sentire videtur. Equidem in una *Ordinis Carmelitarum exalceatorum Provinciae Poloniae 29. Januarii 1752* quoad Missam celebrandam convenit cum Instruktionem respondens *dubio 3:* „In Altari, ubi est publice expositum SSmum. Sacramentum, si celebratur Missa diei, celebrari debet cum paramentis Festo seu Officio convenientibus“, quoad Processionem vero, quae immediate sequitur, utitur verbo facultativo *Posse.* Ita in *Taggen. 29. Novembris 1678* ad sequens dubium: „An in tertia Dominica Mensis, in qua juxta statuta et consuetudinem Societatis Corporis Christi fit Processio, cantata Missa solenni de Dominica cum commemoratione SSmi. Sacramenti, Celebrans et Ministri debeant uti paramentis coloris dictae Missae convenientis, non obstante, quod sit violacei, ut in Quadragesima et Adventu, et solum uti velo super humeros albo; an vero post Missam exui violaceo et albi coloris Sacramento convenientis indui et ita in albis Processionem facere? *respondit:* Quando in proposito casu cantatur Missa de Dominica cum commemoratione Sacramenti, Celebrantem et Ministros uti debere paramentis dictae Missae coloris convenientis et etiam posse in Processione, sed albo utendum super humeros velo.“ Juxta hoc Decretum in Processione illico facienda post Missam possunt quidem, sed non omnino debent adhiberi paramenta coloris Missae convenientis; at procul dubio deberent, si id sacrae illi actioni esset essentielle. Idcirco, ut mihi videtur, si fieri possit paramentorum mutatio sine incommodo, sine populi offensione, id non erit illicitum: fit namque in solenni Festo Purificationis B. M. V., quippe, expleta Processione post Candelarum benedictionem, tantisper Celebrans et Ministri secedunt et, depositis indumen-

tis violaceis, induunt paramenta coloris albi, quae Missae diei conveniunt.

4. Quod si id non esse videtur illicitum, etiamsi Celebrans et Ministri non recedant ab Altari, sed ad abacum paramenta deponant, ut albis induantur, faciendum omnino esse videtur, si Processionem ad Sacramentum exponendum instituat non Celebrans, sed eo dignior aliquis, videlicet Cardinalis aut Episcopus. Hoc enim in casu secedere debent Celebrans et Ministri, illucque accedere Cardinalis aut Episcopus: *et cum una ab altera actione tamquam separata censenda sit, facile patet, varianda esse indumenta et in Processione ac expositione vel repositione adhibenda coloris, quae sacrae illi actioni magis conveniunt,* non quae Missae ab alio celebratae sunt propria. Quod item fieri debet, si celebrentur Vesperae, dum in Altari expositum est Sacramentum cum paramentis respondentibus Officio currenti, ut in Ecclesiis insignioribus accidit per Octavam SSmi. Corporis Christi, et recedente Celebrante. Is iterum revertatur, expleto Completorio, ut benedictionem cum Sacramento populo impertiatur. Etenim cum duae sint actiones distinctae, pluviale pro benedictione erit coloris albi, quamvis in Vesperis paramenta fuerint alterius coloris, prout exigebat Officii qualitas.

5. Ad quaestionem omnem dirimendam satis superque esset laudabilis et rationabilis consuetudo Ecclesiarum Urbis; verum accedit novissimus S. R. C. Decretum *diei 20. Septembris 1806.* Casus propositus sequens erat. In Ecclesia Clericorum Regularium Minorum Matrili a die Ascensionis ad Pentecosten solenne decemdiem celebrabatur cum Vesperis et Concione coram Sacramento exposito, mox, recitati precibus, adstantibus Religiosis viri superpelliceo indutis et cum candelis accensis, fiebat SSmi. Sacramenti re-



servatio (idem est ac repositio, quia juxta regionis morem in Hispaniarum Regnis fit sine benedictione): orta est controversia de colore adhibendo in paramentis sacris pro hujusmodi reservatione, aliis opinantibus pro colore albo, aliis pro colore Officio diei respondente, aliis insistentibus pro colore petito a Festo Pentecosten, in cujus praeparationem celebrabatur decemdiu. Hanc controversiam S. R. C. sequenti rescripto composuit: „*Quatenus Sacerdos, qui Vesperas paratus celebravit, non recedat ab Altari et assistat cum concioni tum precibus, reservationem faciendam esse cum paramentis coloris respondentis Officio diei et velo humerali coloris albi, si illud adhibeatur: Quatenus vero recedat et Reservatio habeatur tamquam functio omnino separata et distincta ab Officio Vesperarum utendum esse paramentis coloris albi.*“ Itaque concludam, quod si reparantur actiones, albus color adhibendus erit; si Missae immediate succedat Processio, quin Sacerdos cum Ministris ab Altari recedat, aequum est, ut servetur Instructionis regula. Quod si secus fiat et tantisper recedant omnes, ut alba paramenta sumant, eos damnare non audeam. Neque obstat, quod *Feria VI. in Parasceve* nigra Casula utatur Celebrans in Processione; nam ita praescribit Rubrica, exigit luctuosa memoria Passionis et mortis Redemptoris; ac praeterea, quod magis est, Processio intersecat Officium diei nec ullo modo ab eo dividi potest et tamquam actio distincta haberi. Quae rationes non concurrunt in expositione et repositione facienda, expleta Missa; haec et Processio tamquam actiones distinctae haberi possunt, ideoque non dedecet, quod Processionem instruat alter ab eo diversus, qui Missam celebravit.

6. Quatenus vero adhibeantur paramenta coloris convenientis Officio et

non albi, ut monet *Instructio*, color tamen veli humeralis indiscriminatim erit albus, quia nihil habet commune cum Missa et unice Sacramento inservit; qua potissimum de causa *Feria VI. in Parasceve*, licet omnia, quae ad Officium illius diei pertinent, luctuosa et lugubria sint, velo tamen albi coloris Sacerdos, qui Sacramentum defert, uti debet. Idem dicendum, quia eadem militat ratio de baldachino hastato in Processione adhibendo, veluti praesens sanctio jubet.

7. Quamquam Officium diei (vel celebretur Missa coram Sacramento vel peragantur Vesperae, ut in omnibus fere Patriarchalibus, Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis in more est per octiduum Festivitatis SSmi. Corporis Christi) requirat colorem ab albo diversum, pallium tamen Altaris, in quo expositum est Sacramentum, semper esse debet coloris albi, qui magis eidem convenit. Quod cum certum sit ex Instructionis praecepto, quoad expositionem quadraginta horarum, ex aequitate et identitate rationis ad expositiones omnes, etsi minus solemnes, trahi debet. Excitat tamen dubium *Cavalerius* de pallio adhibendo in Missa, quae solemniter celebratur, non coram Sacramento jam exposito, sed pro eo exponendo, si celebranda sit Missa de die, quae diversi coloris exigat paramenta. In hac enim Missa Sacramentum non est publice expositum, quinimo ante Consecrationem nec est in Altari et post Consecrationem latet super Altaris mensa: perinde quasi ac lateat Sacramentum ipsum, quod in Missa consumitur aut populo distribuitur vel absque ulla expositione intra Tabernaculum recluditur; et quoniam *Instructio* utitur dictione, *dove sta l'esposiz.*, legem dixisse censet de pallio Altaris, in quo expositum est, non autem in quo exponendum est Sacramentum; suggillat proinde

*Pittonium*, quem in *decisionibus pro sacris ritibus num. 1578* perperam latine vertisse putat ea verba: *ubi fit expositio*, cum vertenda essent: *ubi est expositio*. Mihi autem inanis haec videtur quaestio et querela indebita; quippe *Pittonius* sensum et mentem Instructionis potius attendit, quam materialiter verba. In ea enim sanctione de Processione praesertim agit pro Sacramento exponendo, nam de altera pro repositione tractat inferius §. 30, ubi in pluribus se refert ad ea, quae supra notata fuerant de prima *dopo la Messa dell'esposizione*: hinc patet verba illa *dove sta l'esposizione*, non materialiter accipienda esse et divisim a contextu, sed ad sensum et juxta relationes, quas inter se habent diversae Instructionis partes, ita ut reddant: *Pallium Altaris destinati pro expositione debere esse album, ubi fieri debet expositio*, non autem, ut vult *Cavalerius*, *ubi est expositio*.

8. Et revera idem *Cavalerius* fatetur, quod, „etsi *Pittoni* verba non rite fortasse stent ad latinitatis leges, legitimum tamen sortiri valent sensum et est, quod Altare, in quo facienda est expositio, paratum esse debet pallio coloris albi.“ Nihilominus, ne suam sententiam omnino deserere videatur, arbitrariam distinctionem proponit: „*Distinguendum itaque nos esse credimus: et quatenus expositio fiat immediate post Missam, etiam sub praecedenti Missa pallium erit album, quale esse debet in Altari, in quo expositum est vel exponitur Sacramentum: valde enim dedecet, quod, Sacramento existente in Altari, removeatur pallium Missae, ut subrogetur album pro expositione facienda. Si vero immediate post Missam facienda non sit expositio, sed Processio intermediari debeat, ad Missam forsitan pallium esse poterit, quale exquirat ejusdem Missae qualitas, sed indubie amovendum erit*

dum fit Processio cum appositione albi, ut in Processionis reditu Altare apte paratum sit pro expositione SSmi. Sacramenti in eo facienda, moris instar, qui servatur die 2. Februarii, in qua ad benedictionem Candelarum in usu est pallium violaceum, quod tamen amovetur, dum fit Processio, ut appareat album pro Missa.

9. Sed quoniam nequit non agnoscere, quod haec sua distinctio aperte pugnet cum *Instructio*, eam omnino non deserit, verum vel invitus cogitur ad eam sententiam reverti, quam in *Pittonio* reprobaverat. Hinc concludit: „*Dixi forsitan, quia si Instructionis verba excogitentur serio, etiam sub praecedenti Missa exposcunt pallium album; agunt enim de Missa, ad quam non sequitur expositio Sacramenti, nisi Processione media et adhuc sine distinctione ulla, quam ceteroqui faciunt de paramentis aliis, assignant pallium album. Haec autem potest esse ratio, quod immediate post Missam nihilominus expositio incipit: (Melius forte ante Missae finem, dum post Sumptionem Diaconus collocat Ostensorium in medio Altaris) „dum statim super Altare Sacramentum solemniter exponitur detectum, licet nonnisi Processione intermedia exponatur in throno, ex quo apparet ratio discriminis ad id, quod dicebatur de die 2. Februarii.“ Sed non una ratio est, quam ipse dubitantis more proponit, verum etiam et altera; quia, licet Missa non sit votiva de Sacramento, sed respondeat Officio diei, nihilominus est aliquo modo connexa cum expositione facienda, si in ea consecrari debet Hostia in Ostensorio collocanda. Praeterea nec dici potest, quod expositio incipiat post Missam; nam actus necessario praeparatorius ad ipsam actionem pertinet et collocatio Ostensorii in medio Altaris, quae fit immediate ante ablutionem, censeri potest tam-*



quam inchoata expositio, quamquam sequatur Processio, priusquam in throno collocetur.

10. Pertinent haec ad Altare majus, in quo expositio fieri debet, sed *Instructionis* regula trahi nequit ad alia Altaria minora. In his enim adhibenda sunt pallia, quae respondent colori convenienti Officio diei, non Missae ab eo diversae, quae forsitan celebratur, dum licet. Forte enim Officium viridem, purpureum, violaceum exigit colorem, sed talis est ejusdem ritus, ut non impediatur celebrationem Missae votivae cum paramentis albis: hinc, quamvis Sacerdos ratione Missae votivae utatur stola, manipulo, casula albi coloris, pallium tamen Altaris erit coloris convenientis Officio diei. Quae tamen regula fallit in Missis conventualibus et solemnibus, quae extra Altare expositionis cantantur. His enim de congruo Auctores omnes assignant Pallium conforme colori paramentorum Missae, non Officii.

11. Quae hactenus dicta sunt locum obtinent non solum in expositione quadraginta horarum, *verum etiam in aliis quibuscumque expositionibus*: imo *Cavalerius* ad hunc locum *num. 4* existimat, *extendi etiam rite posse ad expositionem privatam, scilicet cum Ostensorio velato*. At ego crederem nedom posse, sed omnino debere, quoties Sacramentum in throno aut detectum aut velatum collocatur et solummodo regulam non urgere, si Pyxis velata patefiat, aperto Tabernaculi Ostiolo.

#### §. XIX.

»Terminata la Messa solenne per »l'esposizione il Celebrante e li Ministri, fatte le dovute riverenze al »Sacramento, si ritireranno fuori del »corno dell'Epistola, dove il celebrante, come pure li Ministri, de-

»porrà il manipolo, e levata la Piana, prenderà il Piviale, ponerà ivi »l'Incenso in due Turiboli, senza »benedirlo, e dopo con li Ministri »genuflessi nel mezzo incenserà tre »volte il SSmo.: sul fine della Processione (quale si principierà anticipatamente, fatta l'elevazione del »SSmo., o prima, secondo che sarà »più, o meno numerosa) il Diacono »in tempo congruo, fatta la genuflessione sopra la predella, prenderà il »Sacramento, e stando in piedi, lo »consegnerà al Celebrante genuflesso: »genuflettendo immediatamente esso »Diacono, lo prenderà il Celebrante, »ricoperte le mani dall'estremità del »velo umerale, e si alzerà. Principiandosi poi da' Cantori l'Inno *Pange lingua etc.* s'incamminerà sotto il »baldachino recitando con voce sommessi Salmi, ed Inni insieme con li »Ministri, quali eleveranno le fimbrie »del Piviale.«

1. Plura sunt, quae in hac sanctionis parte indigent illustratione. Quaedam etiam supplenda sunt, quae utpote a generalibus Rubricis ordinata, nostra Instructio praeterit; sed quia nobis proposuimus cuncta in unum colligere, quae ad rem pertinent et haec etiam breviter hic adnotare visum est opportunum. Itaque Missa solemnitas, quae cantatur pro SSmi. Sacramenti expositione, quamvis exigenda sit ad normam Rubricarum et usque ad Consecrationem, nihil proprium habeat, per quod differat ab aliis Missis aequae solemnibus (si excipias commemorationem Sacramenti, dum non licet votivam de eo celebrari): a Consecratione tamen usque ad finem, aliqua sunt eidem peculiaritas et propria, quarum haec loci habenda ratio est.

2. Itaque duo offerri et consecrari debent Hostiae a Celebrante, quarum altera tantum elevatur pro consum-

mando Sacrificio, ut moris est, altera relinquatur super Corporale lateraliter, a sinistra scilicet Celebrantis pro expositione facienda. Cetera usque ad Sacri Sanguinis sumptionem juxta solitum servari debent. Hausto Christi Sanguine, dum Celebrans pausillum meditantis more consistit ad Altare defertur Ostensorium parvo velo obductum vel a Caeremoniario, quod magis convenit, vel a Subdiacono per gradus laterales epistolae, facta debita genuflexione tam in recessu, quam in accessu, unico tamen genu: locatur Ostensorium a cornu Epistolae prope quidem, sed extra Corporale, et, quo erat coopertum, movetur velum. Deinde, facta iterum genuflexione, accedet Subdiaconus ad librum, ubi iterum genuflectat, cedens in transitu gradum superiorem Diacono, qui tum accedens ad dextram Celebrantis, genuflectit pariter in accessu et recessu; moxque Diaconus ponit Calicem palla coopertum ad laevam, sed non extra Corporale, in medio vero collocat Ostensorium ea in parte apertum, ubi lunula cum Sacra Hostia est collocanda: statimque Celebrans, facta cum Sacris Ministris genuflexione, adaptat propria manu Sacramentum radiantis Sphaerae adjuvante eodem Diacono, qui Ostensorium claudit ac spinula firmat, ne aperiri possit. Ostensorio a Diacono in medio Corporalis reverenter posito, Celebrans ac Ministri genuflectunt, deinde Sacerdos sumit purificationem et Missam prosequitur more solito, iis tamen caeremoniis servatis, quae sunt a Rubricis praescriptae in Missa celebrata coram Sacramento, ut luculentius advertendum erit, ubi de Missa pro Sacramenti repositione agemus.

3. Dum Sacerdos cum Ministris pergat ad Altare Missam solemnem celebraturus, satis est, ut sex ardeant

candelae; nondum enim ibi adest Sacramentum publicae venerationi expositum. Alia accenduntur postea luminaria, quod opportune fit immediate post elevationem, ut omnia accensa sint, dum collocatur Sacramentum in Ostensorio et spectandum ponitur super Corporale in medio Altaris. *Cavalerius* ad §. 20 hujus *Instructionis num. 1.* varium Ecclesiarum morem dicit: „proxime post elevationem nonnullae id praestant Ecclesiae, aliae ante finem Missae“ et postremum hunc morem ipse probat, „quia sufficit et exigitur, priusquam ab Ostensorio, finita Missa, per Diaconum auferatur velum, omnes habeantur ardentes.“ Ei adhaeret *Tetamus ad hunc locum*. Ambo in hanc veniunt sententiam, quia arbitrantur tegendum esse velo Ostensorium, a Diacono solummodo removendo, expleta Missa, dum tempus instat illud in Processione circumferendi. Sed quoniam non mihi videtur velandum esse Sacramentum, sed inchoatam expositionem arbitror, simul ac Ostensorium cum Sacra Hostia in medio Altaris collocatur; hinc magis congruere existimo, quod post elevationem Acolythis incipiant candelas accendere, et etiam ante, si opus fuerit, ita ut circa sumptionem aequae omnes ardeant.

4. Verba afferenda sunt *Cavalerii*, unde rationes patent, quibus ille suam de Sacramento velando opinionem tueretur. Ait enim *ad hunc locum num. 3*: „Dum perficitur Missa, an Ostensorium sit velandum, novissime Romae consultus extitit quidem in sacris ritibus peritissimus, qui non esse velandum ex eo censuit, quod de hoc velo ne minimum quidem habetur verbum in praedicta Instrukione. Pusilla nobis apparet ratio hujusmodi, ut ex eadem nos magis eruamus oppositum; quae enim Instrukio particulariter non notat, Rubricarum dispositioni relicta



censentur; quare cum Rituale Romanum tit. de Processione in Festo SSmi. Corporis Christi, in casu omnino simili de Ostensorio habeat: Veloque operiatur, donec auferatur ab Altari, „velandum nos esse credimus cum Baruffaldo, qui rationem affert, ne, dum reliqua Missae peraguntur, Sacramentum indebite appareat collocatum extra baldachinum.“ Verum, si recte omnia pensentur, apparebit Romanum in sacris ritibus peritissimum bene respondisse quaesito; *Cavalerium* autem nimis propriae opinionis fuisse tenacem et perperam petiisse decidendi rationem a Rituali Romano, quod vix ac ne vix quidem locum habet in Processione Corporis Christi.

5. Equidem non inficior, claram ejusdem Ritualis Rubricam praecipientem velo cooperiri Ostensorium, donec auferatur ab Altari. Cohaerenter ad eam idem docent *Bauldri in Manuali sacrarum caeremoniarum part. 4. cap. 16. art. 3. num. 1. et 2. Catalanus ad dictum Ritualis titulum §. 2. num. 5.*, ac, ut caeteros praeteream, *Baruffaldus a Cavalerio laudatus*. Sed Rubrica haec loquitur de solemnibus Missae celebranda in die festo SSmi. Corporis Christi, in qua consecratur Hostia collocanda in Ostensorio pro instruenda Processione et ad hanc digitum intendunt Scriptorum omnes, qui de hac re pertractarunt. Verum iidem ne memorant quidem expositionem quadraginta horarum, neque erat ibi locus de ea agendi: quod si fecissent, longe secus existimassent. Et revera *P. Meratus* opportune distinguit. Nam pertractans *part. 4. tit. 12. §. VI. num. 12.* de Processione SSmi. Corporis Christi ait: „quod Celebrans posita Sacra Hostia in Ostensorio, istud adjuvante Diacono statim claudit et in medio Corporalis reverenter collocat veloque suo cooperit; expleta Missa assumptoque pluviali loco Ca-

sulae revertitur cum Ministris ad Altare ac genuflectit, dum a Diacono auferitur velum album ab Ostensorio.“ Alibi vero scilicet *part. 2. tit. 14. num. 3.* agens de caeremoniis servandis in Missa pro expositione quadraginta horarum, easdem caeremonias totidem fere verbis enumerat, nec tamen operationem et detectionem Ostensorii commemorat; diversas hinc adhibet formulas videlicet: „adaptat . . . . Sacram Hostiam in lunula, quae est in medio praedicti Ostensorii, adjuvante eodem Diacono, qui illud statim claudit et in medio Corporalis postea collocat, statim a Celebrans indutus erit pluviali, medius inter praefatos Ministros accedet ad planum Presbyterii . . . . ascendet ad secundum gradum et in ora suppedanei genuflexus cum Diacono a dexteris et Subdiacono a sinistris tantisper orabit etc.“ Cur autem et unde discrimen? Quia sacrae actiones, etsi ad idem tendant objectum, sunt tamen diversae: idcirco quod in una jubet Rubrica, in altera non exigit particularis Instructio.

6. Porro in Missa, quae celebratur in Festo SSmi. Corporis Christi, Sacra consecratur Hostia ad finem tantummodo eam processionaliter circumferendi, quae functio cum benedictione finem habet, expositio vero, si post Processionem alicubi fiat, est accessoria: contra vero finis principalis pro Oratione quadraginta horarum est expositio, quae per triduum diu noctuque perenniter durat, et Processio instruitur non ad necessitatem sed ad celebritatem, ideoque est accessoria. Quamobrem si aliqua est discriminis ratio, haec sola attendi posse videtur: *cur in Festo SSmi. Corporis Christi Sacrum Ostensorium velo cooperit solummodo detegatur*, dum ab Altari est removendum et triumphaliter circumferendum: secus vero fiat in altero casu: nam in hoc quodammodo

inchoatur expositio, quando Diaconus erigit Ostensorium in medio Altaris, cunctis spectantibus.

7. Nec quidquam officit ratio a *Cavalerio ex Baruffaldo* adducta, scilicet velandi Ostensorium: „ne appareat indebite Sacramentum collocatum extra baldachinum et cum Calice vicino, adeo ut nondum primum locum habere possit, quemadmodum habere debet in Processione.“ Nollem talia a calamo excidisse hominum ceteroqui doctissimorum! Qui enim dici potest, primum locum non occupare Ostensorium in medio, nobiliore scilicet parte Altaris collocatum, dum Calix ad laevam positus, facta ablutione, illico removetur? Equidem extra baldachinum est; quid tamen inde? Post reditum etiam Processionis in Festo Sanctissimi Corporis Christi, si max non fiat solemnibus expositio, in medio Altaris deponitur Sacramentum, non sub umbella, ibique satis diu manet, dum cantatur Hymnus *Tantum ergo* cum sequenti Oratione. Patet id ex universali Ecclesiarum praxi, sed multo magis *ex Caeremoniali Episcoporum lib. 2. cap. 33. num. 24.*, ubi sequens habetur Rubrica: „Postquam Episcopus pervenerit ad supremum Altaris gradum, Diaconus . . . . accipiet . . . . Sanctissimum Sacramentum et illud super Altare collocabit, in medio scilicet Corporalis super Altare extensi“, ut notat *Catalanus*. Hinc alia succedit Rubrica *num. 27.*: „qua finita (scilicet Oratione) accedat ad Altare et accepto Tabernaculo seu Ostensorio cum Sanctissimo Sacramento etc.“ Et quod etiam plus est, id ipsum *Rituale* jubet: „Peracta Processione et SSmo. Sacramento ad Ecclesiam reportato et super Altare deposito etc.“, ad quae verba *Baruffaldus* ait: „Tunc Diaconus Altare ascendens ipsum in medio super Altare collocabit, strato ibi Corporali.“ Et in casu nostro in die repositionis,

expleta Processione, super Altare Ostensorium collocatur et interim cantatur *Hymnus* et Celebrans legit *Orationes* omnes pro sacra illa actione praescriptas. At si ratio illa valeret, quam supra *Baruffaldus* adduxerat et tueretur alii, qui eum sequuti sunt, dicendum foret, sequendam non esse *Caeremonialis*, imo nec ejusdem *Ritualis* dispositionem, nec non universalem majorum praesertim Ecclesiarum praxim, quam proinde reformare deberet. Sequeretur insuper, quod vel detectum vel velatum, nec momento temporis in Altari extra baldachinum permanere deberet, quoniam, etsi velatum, in privatis expositionibus Ostensorium semper est in throno collocandum.

8. Quatenus vero non esset omnino posthabenda ea pars *Rubricae Ritualis*, etiam quoad Missam pro expositione quadraginta horarum, vix ei concedenda foret vis directiva, quae nullum infert praedictum consuetudinibus laudabilibus et rationabilibus contrariis. Id fortasse agnovit *Baruffaldus*, quamobrem ad supra laudatam rationem confugit, ut eandem *Rubricam* laudabilem esse et in praxi congruentius sequendam demonstraret. Certum tamen est, quod *Caeremoniale Episcoporum loc. cit.*, licet caeremonias omnes enumeret in sacra illa actione servandas, ne verbum quidem habet de velo, quo tegatur Ostensorium, priusquam de Altari removeatur: imo ex iis, quae paulo ante notavi, facile consequitur, jure id praetermissum. Magis propterea patet, *Rubricam Ritualis* utpote directivam contraria consuetudine penitus obsolevisse, doctrinam vero *Baruffaldi* et *Cavalerii* nihili pendendam esse.

9. Nec mirum est, si *Rituale Romanum* eam posuerit *Rubricam*. De tempore enim, quo fuit ordinatum, forte plures Ecclesiae erant, quae